citur illud ferculum, sunt cedri incorruptibiles, quorum odore fugantur serpentes, num. 886. & 887. Ad crucis lignum hæc referas cum Aponio, qui addit: *Non dubitandum quanti saporis sint pulmentaria ferculo imposita. Videtur mihi hoc ferculum Domini in cruce intelligi.* Inde omnè delectamentum, & omnis saporis suavitas in Eucharistiam sanctam: undè corrumpi putabatur à Judæis. Expende Jeremiæ verba cap. 11. 19. & vide ibi S. Hierony. & Origen. qui ait: *Lignum missum in panem ejus, panem fecit meliorem.* Tunc enim nobis hic panis melior & dulcior dum crucis mortem recolimus. Vide *encolligo duo ligna*, &c. n. 1784.

3 Tertiò per *columnas argenteas* intellige vim hujus mysterii: de quo Sanct. Timot. Presb. Jerosolim. concione de occursu Domini: *Vacemus divinæ mensæ, per quam, & mundus est stabilitus, & orbis terrarum consistit, & regnum custoditur, & Ecclesia multiplicatur.* Pro quo faciunt duæ columnæ æreæ ad porticum templi Salomonis 3. Reg. 7. 15. nullam ædificii partem sustinebant: sed malogranata plura, regna nempe universa, num. 1838. Vide quæ de columnis scribimus à num. 2060. Expende ex Genes. 27. 28. *Frumento, & vino stabilivi eum*, Jacobum nempe, subinde invaluit ad Angelum, & confortatus est. Ose. 11. Vide n. 1150.

4 Quartò *ascensum purpureum* referas ad sanguinem Christi num. 1583. *Sanguis enim Christi* (ut ait Ambros. ser. 17. in Psal. 118. *purpura est*, &c.) Vide & preme Canti. 7. 5. verba à num 1624 1631. & 1920. Denique *media charitate constravit.* Potest legi ex Hebræo *medium ejus panis primarum*, sive *succinericius panis*, nam eadem vox ponitur, quæ 3 Reg. 19. 6. & Chaldæus effert: *posuit in medio ejus arcam testimonii, quæ est columna faculi.* Vide translationis, & dicta à n 891.

5 *Caro mea verè est cibus*, &c. Est etiam locus elegans pro alma Eucharistia ex Canti. 4. 4. *Sicut turris David collum tuum*, &c. De quo num 1151. Sanct. Nyss. homil. 7. in Cant. explicat, *collum tuum facultatem altricem habet.* Altrix Ecclesiæ facultas sancta est Eucharistia: per quam, quasi per collum Deus ipse nos in se traiicit, & incorporat, ac secum coniungit uti corpus cum capite: *In me manet, & ego in illo*, &c. *Vivet propter me.* Ad Ephes. 4. 15. *Crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum.* Rectè Chrysost. homil. 61. ad popu. *Propterea semetipsum nobis immiscuit, ut unum quid simus, tanquam corpus capiti coaptatum.* Coaptamur verò pro Eucharistiam.

6 Collum hoc turri assimilatur Davidicæ, olim in turri aurea, seu turriculo asservabatur Eucharistia ut constat ex Grego. Turo. lib. 1. de gloria Martyr. cap. 86. Vide nostrum Cerdam in adverss. sac. cap. 76. nu. 10. Hinc Ecclesia Cant. 8. *Vbera mea quasi turris.* Vide nu. 279. & 1228. Per ubera Sacramentum Eucharistiæ intellige, nu 1142.

7 Aedificata dicitur hæc turris *cum propugnaculis.* Hebraicè *ad suspendenda ora*, vide nu. 80. Est enim Sacramentum stuporis, & admirationis. Efferas etiam, *cum linguarum similitudinibus*, nu. 101. & 282. Est sacrificium laudis, oris, & linguarum, & ora, & linguas commovet, loqui facit, nu. 1156. Vertas *cum pinnis*, seu *sphæris collucentibus*, nu. 830. La torre dela vela. Agnus Eucharisticus Apo. 5. 6. *Cornua septem* dicitur habere, id est luces, splendores, luminaria, juxta Habac. 3. 4. *Cornua in manibus* Hebraicè *splendores de manu ejus.* Vide Isai. 9. 1. *primò tempore alleviata est*, &c. LXX. *primum bibe.* Expende verba v. 2. 3. & 4. ubi fit allusio ad lagenas, & lampades Gedeonis, ad gladium illius, & panem subcinericium Iudi. 7. imò ad campanam vigiliarum nu. 350. vide *in splendoribus sanctitas*, nu. 1144.

8 Illa turris dicitur ædificata *ad disciplinas, ad docendum*, nu. 1871. Vide pro Eucharistia Joel. 2. 23. *Doctorem justitiæ* LXX. *Escas justitiæ.* Et Dani. 1. 17. *Pueris autem dedit Deus scientiam*, &c. Vnde hæc sapientia? Ex cibis selectis Eucharistiæ typo Gloss. ubi: *vos panis satiabat, qui de cælo descendit.*

9 *Mille clypei pendent ex ea.* Legi potest *Deus clypeus pendet in ea.* Hoc enim Sacramento protegimur, & defendimur, nu. 1151. Scutum auxilii nostri est, nu. 720. De scutis, seu clypeis multa à nu 719.

10 *Omnis armatura fortium.* Eucharistia virtutis bellicæ monimentum est, pacem inducit, & arma bellica deponere cogit: *ad suspendenda ora*, seu *acies gladiorum.* nu 1480. *Litigabant ergo Judæi*, &c. Ioan. 6. 53. Ubi Sanct. Augustt. *Litigabant qui panem concordiæ non intelligebant; nam qui manducabant talem panem non litigant ad invicem, quia unius panis unum corpus multi sumus.*

11 Visionem Isaiæ cap. 6. quam latè expendimus, à num. 856. Ad Eucharistiæ Sacramentum referunt multi ex Patribus apud Expositores sacros, videndi. Est quidem Eucharistia altare, in quo semper amoris ignis ardet, & nutritur lignis. Levi. 6. 12. Lignum ad nutriendum est crux Dominica, num. 344. & 823. Est ignis Dei in Sion, & caminus in Ierusalem, nu. 805. Est calculus de altari, carbo ignitus, seu pruna, carbunculus, adamas, nu. 822. 865. 209. & 1051. Pro *calculo* legas ex Hebræo *subcinericium panis*, seu *panis prunarum.* Ex Chaldæo, *epulum, convivium.* Premenda Damasceni verba lib. 4. de fide cap. 14. *Divinum carbonem accipiamus, ut ignis in nobis comburat peccata nostra, & illuminet corda nostra, & participatione divini ignis inardescamus, & deificemur. Carbonem vidit Isaias; carbo autem non simplex lignum est, sed unitum igni; sic panis communionis non panis simplex est, sed unitus divinitati*, &c. En qua ratione novi seraphini fabricantur in ardenti Eucharistiæ camino, n. 865.

12 Ex Cant. 8. 6. *Fortis ut mors dilectio.* Vide à num. 806. Tantus enim fuit Christi erga nos amor, ut Eucharistiæ Sacramentum instituerit, in qua nocte tradebatur, atque ita *non Judæorum quasi prædonum impetum, non Pilati sententiam expectat; sed consilio suo ante vertit, arcano sacrificii genere se ipsum pro nobis hostiam offert, & victimam immolat*, &c. ut loquitur Sanctus Nyssen. orat in Christi resurrect. De hac Christi dilectione subtexit Salomon *lampades ejus*, &c. Expende translationem, & quæ ad hæc verba habes à n. 817. Quæ facilè ad Eucharistiam revoces.

13 *Et sanguis meus verè est potus.* Pulchrè pro Eucharistico sanguine Can. 1. 13. *Botrus Cypri*, &c. De quo à nu. 842. Referas etiam ad hoc mysterium dicta à n. 848. ad *855.*

14 *Sanguis meus verè est potus.* Noviter hæc illustrantur. Ex Cant. 1. 1. *Osculetur me.* Hebraicè, *potet me*, n. 848. & à n. 1141.

15 *In me manet, & ego in illo.* Hoc amore ingenium est qui Eucharistia, quasi philtro amatorio, Dei & hominum corda divinissimè affecit, à num. 872. ad 883.

16 *In me manet*, &c. Vide ad quam dignitatem nosevehat panis hic dignè susceptus, ad divinitatem certè, & deorum nuncupationem: similis enim habetur locutio ad explicandam communem filio, & patri divinitatem: *Ego in Patre, & Pater in me est.* Idcircò appellatur Eucharistia *panis Angelorum* Hebraicè *heroum.* Vide qui essent heroes. num. 532. Expende illud *Secundum altitudinem tuam epulare fecisti filios hominum*, numero 534. Donum est per quod efficimur divinæ naturæ consortes numero 537. Isaias post inflammata calculo ignito labia aiebat *Ecce ego sum.* Vide 443. Et quære alia Eucharistiæ elogia verbo *Eucharistia.*

Pro Festivitatibus Beatæ Mariæ Virg.

Pro Immaculata Virginis Matris Conceptione.

1 *Liber generationis Jesu Christi*, &c. Deiparę sublimitas tanta est, ut videatur silentii dumtaxat cultu, & admiratione veneranda, num. 80. Rursus concionatorum linguas, & scriptorum calamos sibi vendicat jure proprio: est enim turris David cum linguarum similitudinibus, nu. 90. & 101. Matt. 1.

2 *Liber generationis*, &c. Est ad rem locus Genes. 3. 15. Fusè versatus, & noviter elucidatus à num. 30. ad 68. Facile potest ad Virginis triumphum de tartareo dracone reportatum à puncto conceptionis referri, ut observo nu. 32. Præsertim preme pro hoc mysterio tres illas translationes: *Inimicitias instaurabo, revocabo reficiam, perficiam*, num. 99. *Inimicitias coronabo* num. 47. *Inimicitias circumdabo, stipabo, vallabo, propugnabo, præmuniam.* n. 42.

3 Spectat etiam ad immaculatam Deiparæ conceptionem ex meritis Christi patientis, & in cruce morientis, accurata, arcana, & venusta

Evæ

Evæ fabricatio ex latere Adami dormientis, de qua latè à num. 21. ad 29.

4 *Liber generationis*, &c. Indicamus validum pro Virgine absque peccato originis concepta testimonium, num. 61. ex cap. 20. Job v. 20. Videndi Patres existimantes *Leviathan* appellari qui in principio Genesis dicitur serpens. Videndus Sanct. Gregor. Mag. per *leviathan* peccatum originale intelligens. Multi in Jobi verbis agnoscunt *lineam piscatoriam*, per quam designari putant Christi genealogiam, de qua in Evangelio. Sanctus Petrus Damian. ser. de Nativit. Virg. & in ser. de Annun. *Christus de libro generationis lineam faciens, divinitatis hamum innexuit, quem carne operuit virginali, ut Draco magnus illectus ad carnem, ferrum divini Numinis subsentiret.* Illa Jobi verba, *aut ligabis eum ancillis tuis?* LXX. efferunt *puero tuo.* Ex Chaldæo *talitach* vertas *puellæ ancillæ tuæ.* Utrumque verum cum & ipsa Virgo, & ipse ejus filius de peccato originali triumphum egerint. Preme Sancti Brunonis verba in ser. de Nativit. *Numquid ligabis eum ancillis tuis? Quasi dicat: non tu ancillis tuis eum ligabis, quem neque ipsi viri fortes ligare potuerunt. Ego tamen per unam ancillam meam eum ligabo, & fortitudine sua privabo. Hæc est nobilis ancilla Beata Virgo Maria: quæ de se ipsa loquitur dicens, respexit humilitatem ancillæ suæ.*

5 *Liber generationis*, &c. Est etiam locus accommodus pro mundissima Virginis conceptione ex Can. 1. 10. *Murenulas*, &c. quem sæpè expendimus pro Martyribus. Preme, & illustra translationes. Primò *libellos aureos faciemus tibi.* nu. 111. Benè pro *liber generationis*, &c. Appellatur Virgo à Sancto Damas. orat. 2. de assumpt. *Novus liber, in quo inenarrabile modo Deus Verbum inscriptus est.* Liber erratis carens omnique labe seu litura: *Libro sin erratas, sin horron alguno.* Vide Velazquez tom. 1. in epist. ad Philip. cap. 2. v. 7. annotation. 8. num. 14. Secundò, *columbas aureas*, &c. dissidium inter columbam, & serpentem, n. 38. vide *columba.*

6 Tertiò, *Serpentes aureas*, &c. nu. 305. aurium ornamenta sunt, num. 671. Dantur Virgini serpentes aureæ in aurium ornamentum, quia aures occludendo antiqui serpentis suasioni, serpentem devicit, & devictus hostis solet esse pro ornamento triumphatori. Sanctus Maximus Episc. ad amicum ægrotum: *Suscitabo mulierem, quæ repudiata facilitate credendi, te non audiat; si ut suavitatem pomorum pro adabertione monstraveris oculorum, aut Diis similem esse promiseris.* Quartò, *margaritas filo aureo colligatas*, &c. num. 1171. margarita certè est Virgo ex cœlesti divinæ gratiæ rore generata, nu. 1052.

7 Rursus illud, *vermiculatas argento*, variè transferuntur; primò, *cum stigmatibus, punctionibus, cicatricibus*, vel etiam cum *clavis argenteis.* Quod ad Christi passionem, cujus Virgo præcipuum fuit opus referas, nu. 1680. Secundò cum *tortis*, seu *placentis argenteis*, id est candidis, num. 438. Tertiò *eum nummis argenteis*, n. 687. Quasi à puncto conceptionis Marianæ Deus contulerit universum redemptionis pretium in Mariam.

8 Ad rem spectant illa Cant. 1. 4. *Nigra sum, sed formosa*, &c. Videor nigra, quia filia sum Adæ, sed verè formosa sum, nitida, decora, amabilis, lucifer sum, aurora sum, num. 120. & 121. Ex eodem capite v. 13. *Botrus cypri*, &c. de quo plura ad immaculatam Virginem referenda à n. 842.

9 Ex Cant. 2. 2. *Sicut lilium inter spinas*, &c. Expende dicta à num. 752. & translationem; *Sicut lilium inter catenas, compedes*, &c. His omnibus superior assurgit Virgo. Vide quæ de veste liliata dixi num. 755. Et observa ex Plinio lib. 21. cap. 19. *Liliis radices multis modis florem suum nobis litabere contra serpentis ictum.* Et Dioscorides lib. 3. cap. 99. *Lilii semen potum morsibus serpentum adversatur.*

10 Et Cant. 4. 4. *Sicut turris David collum tuum*, &c. Vide hunc locum in Indice sacræ scripturæ, & expende translationes adductas. *Deus clypeus pendet ex ea.* nu. 1151. Vide pro veste scutulata Deiparæ num. 1472. & 1476. & de scutis, seu clypeis à num. 719.

11 Ex Cant. 6. 9. *Quæ est ista, quæ progreditur* (Hebraicè *apparet, prospectatur*) *quasi aurora*, &c. Aurora, id est aurea hora, 663. De aurora, nu. 121. & 1753. *Pulchra ut luna.* Hebraicè *clara gloriosa*, nu. 591. Sanct. Bernar. in depro ad v. *Imò pulchrior luna, quia tota pulchra es, & macula non est in te, nec vicissitudinis obumbratio.* Subtexit, *electa ut sol.* Hebraicè, pura, munda, lucida ut sol, n. 248 Sanct. Petr. Damian. serm. 4. de assumpt. *Prælecta ut sol, solus orbem illuminat, sic hæc sola solidiori lumine, & Angelos, & homines illustrat.* Deinde: *terribilis, ut castrorum acies*, &c. Ut vexillata, ut ordinatæ copiæ strictis ensibus, nu. 660. Terribilis quia armis locis munita, & lux ipsa est in tenebris lucens, nu. 574 & 575. *Ab illa hora* (id est ab Adami lapsu) *tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad Virginem*, ait Pet. Dam. relatus.

12 Ex Cant. 7. 1. *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis*, nu. 68. Chaldæus *in calceamentis textis.* De quibus Plin. lib. 16. cap. 10. *repertum innoxiam fieri* [hanc arborem] *si in ipsam clavus æreus adigatur.* Hoc ad passionem Christi spectat, per quam innoxia Virgini fuit arbor humanæ generationis. Alii legunt *gressus tui splendidi*, &c. nu. 582. Cum intuitu ad lunata calceamenta. Primus Virginis ingressus splendidissimus. *Fundamenta ejus in montibus sanctitatis*, summum sanctitatis in aliis est in Virgine minimum: *splendor Moysis* appellatur à Sancto Ephrem. de laud. virg. Moyses verò splendor instar lunæ *carnuta facies*: ex Hebræo Lippomanus *ecce gladios ejaculatur.* Drogo. *Terribilis quia cornuta ad ventilandum.* Talis Moyses egressus: talis virginis ingressus.

13 *Ex* Cant. 7. 2. *Venter tuus acervus tritici vallatus liliis.* Expende translationem R. Salomonis, num. 1036.

14 Ex Cant. 3. 7. *En lectulum Salomonis*, &c. Lectulus Salomonis Virgo est valide propugnatus à David, ab Abraham, & reliquis progenitoribus contra dæmonis incursus, n. 1301. Undique districtis gladiis propugnatur. Cur gladiis? Gentilibus, & Hebræis creditum, gladios districtos terrorem tartareis hostibus inferre, n. 1482. & 1483.

15 Ex Cant. 3. 9. *Ferculum fecit sibi Rex Salomon.* &c. Ad Virginem absque peccati labe originaria possunt referri dicta ad hunc locum à n. 884.

16 Ex Psal. 44. *Astitit Regina*, &c. Firmiter stetit instar columnæ, instar militis stataril, nu. 561. & 5062. *A dextris tuis.* Nihil unquam in Maria sinistrum, dextra omnia semper fuere, id est felicia num. 567. *in vestitu deaurato*, in auro optimo, num. 668. & 1872. *Circumdata varietate* De toga picta palmata, scutulataque veste, num. 1472. vide *palma*; vide *scutum.*

17 Ex lib. 3. Reg. cap. 10. v. 18. ubi quæ de throno Salomonis expendimus, facilè ad Virginem sine peccato originis conceptam referas à nu. 1758.

18 Maria Virgo fuit non solùm corpore, sed etiam mente, quia sine ulla peccati labe, num. 1870. An ob hanc specialem puritatem resplendeat in cœlis speciali aureola, *ib.*

Pro Festo Nativitatis Mariæ Virginis.

1 *Liber generationis*, &c. Recensentur fortissimi Mariæ progenitores docti in bello, qui genus Abrahæ, qui radicem Davidis propugnabant, & Virginem inde nascituram stipabant lectulum veri Salomonis, n. 1301. & à n. 1026. Matt. 1.

2 *Filii David, filii Abraham*, &c. Mariæ progenitores laboribus, ærumnis, & Martyriis divexati, ut essent ipsa, ejusque filius, Martyrum Martyriique filii, à nu. 1338. De Abrahamo divexato, à num. 1251. De Davide à num. 1302. De reliquis Mariæ, & Christi progenitoribus diversimodè afflictis à nu. 2230. ad 1337.

3 *Liber generationis*, &c. Remigius apud Sanctum Thomam in catena: *Quia noverat scriptum esse liber generationis Adæ, ideo sic exorsus est, ut apponeret librum libro, Adam novum Adæ veteri, quia omnia per istum sunt restaurata quæ per illum sunt corrupta.* Liber quidem novus, num. 112. Liber, qui pro monili, & ornamento pretioso Virgini fuit elaborato ab Spiritu S. num. 111. vide in antelapsa concione n. 5. 6 & 7.

4 *Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Jacob.* Gloss. ibi *Abraham virtutem fidei significat: Isaac significat spem; Iacob autem charitatem.* Quibus describitur gradum virtutum omnium certamen pro edenda in lucem, & illuminanda Virgine Matre. Quò referas dicta à num. 544. Quibus adde dicta num. 591. Et speciatim pro fide, spe, & charitate, quasi funiculo triplici, & ternicolore, his virtutibus ad se attraxerunt antiqui Patres Deigenitricem, Deum-

que ipsum sacra quadam incantatione à nu. 604. His etiam tribus virtutibus, quasi tribus Gratiis, seu charitatibus Virginem allexerunt à num. 612. vide suis locis alia fidei, spei, & charitatis elogia.

5 *Judas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar, &c.* Observat Sanct. Chrysol. homil. 3. *Monstratur omnes obnoxiis esse peccatis, &c. Si autem à magnis lex non est impleta, neque à minoribus, & sic omnes peccaverunt, & necessaria est Christi præsentia.* Non solùm Christi, sed & Deiparæ præsentia fuit necessaria peccatorum remedio: ideo post linceam peccatum dicitur: *Maria, de qua natus est Jesus.* Verè Maria adiutorium simile Christo ad opus nostræ salutis: verè luminare minus, ut præsit nocti, id est peccatoribus, verè indulgentiæ portus, &c. à nu. 1816. Verè cor nostrum, à qua vita, n. 1841.

6 *De qua natus est Jesus.* Quia Maria nascitur erat uti aurora à qua sol justitiæ, invaluit Jacob ad Angelum, & invaluerunt ludæorum voces inclamantium Christi crucifixionem, n. 1825.

7 *De qua natus est Jesus.* Mariæ pulchritudine, & sanctitate vulneratum Dei cor, & ad se attractum, & quasi philtro quodam amatorio affectum, à num. 88c. Christi etiam amore cor Deiparæ affectum similiter, à nu. 872.

Pro Sanctissimo MARIÆ Nomine.

Luc. 2. 1 *Est nomen Virginis Maria.* Gratum nomen, quod designat protinus actiones, n. 206. Mariæ nomen *arcanum, onerosum, augustum.* Quò revoces dicta à num. 207. Expende singula.

2 *Maria* nomen *arcanum*, & arcanissimum: continet enim arcanum, secretumque Incarnationis mysterium, ut Sanctus Ambros. obsevat lib. de institu. virg. cap. 5. *Speciale Maria Domini hoc nomen invenit, quod significat Deus, ex genere meo.* Ob unam litteram Ne additam nomini Abrahæ, quia Incarnationis mysterium obscurè præfigurabat arcanum ejus nomen prædicatur, nu. 487. & 1419. Rursus *Maria* nomini ostenditur, illam non solùm Dei matrem esse, sed & Virginem, salva nempe virginitate Deum concepturam, n. 1836.

3 *Mariæ* nomen *onerosum*, operosum nomen non absque crucis onere, & amaritudinibus passionis, num. 209. *Maria* enim significat amarum mare à futuro scilicet martyrii sui dolore, num. 1778. & 1780. Præsignatum hoc *Mariæ* nomen in monte Moria, id est amaro, ubi Isaac immolatus, & Christus crucifixus, nu. 1787. Verè *Maria* signum magnum seu scopus, in quem cruciatuum, & dolorum sagittæ collimarunt, nu. 1771. Propterea Spiritus sanctus supervenit in illam, & virtus altissimi obumbravit tunc maximè cum filium in cruce obtulit, n. 1779. vide *Mariæ martyrium.*

4 *Mariæ* nomen *augustum*, id est maiestate plenum, veneratione dignissimum, nu. 212. Augustum sanè nomen cum præ se ferat supremum in omnes creaturas dominium, maiestatemque regiam, ac divinam, à nu. 1836. & 1778. Videtur contendere in maiestate cum ipso IESV nomine, nu 1817.

5 De sanctissimo *Maria* nomine lege præ aliis Cansilium, Virgam Moyses è nostra familia: Novarinum, & Iosephum dela cerda Episcopum Almerienſem.

Pro Præsentatione Virginis.

Luc. 1. 1 *Beatus venter, qui te portavit &c.* Beda ibi. *Scribis, & Pharisæis Dominum tentantibus, & blasphemantibus, Incarnationem ejus magna fiducia quadam mulier confitetur.* Illi certe veri veritatis amatores, & evulgatores, qui longè rei adversæ amandato timore, solum Deum reverentur. Ex his Enos nu. 208. & universum à nu. 909. Vide *Martyrum externa confessio.* Et quidem mulieres nihil minus, ac viri reddere debent firmitatem fidei, atque constantiam, ut quæ ex ossea materia sint, n. 26.

2 *Quædam mulier de turba.* Tyriam fuisse hanc puellam, atque adeò Gentilem, vel ipse testis est locus, in quo res peracta, nempe tyri porta orientalis, ubi magnus hodie lapis extat, super quem Christus extitit prædicans. Ita Fretellus Antiochenus in descriptio. terræ sanctæ. Saligniacus in itinerario Ieroso. & alii, quos refert in Theatro terræ sanctæ Adricomius in Afer num. 85. Neque unam solam Tyri filiam, sed plures fuisse puellam illam imitatas, quæ Beatam Virginem à virginali utero, à felicissimo lacte commendaverint, testis est August. tract. 10. in Ioan. *Admiranda quædam animæ dixerunt, beatus venter, &c.* Nimirum filiæ Tyri vultum Deiparæ pulcherrimum iam inde muneribus promereri religiosè celebrat ut vaticinium complerent Regii Vatis tam eximiam pietatem prædicantis, *& filia Tyri in muneribus, &c.* vide n. 1846.

3 *Beatus venter, &c.* Sanctus Augustinus, & alii legunt *felix venter*: felix autem fumi solet pro pingui, & fœcundo, & observat Mathias Martinius suo dictionario, Nonius accipit pro *fructuoso, ac feraci.* Et *felix* dicitur à fœtu, ut sit qui fœtu abundat. Fœcundus ergo fructuosus, & ferax prædicatur Virginis Matris venter, ut quæ Christum Deum, & hominem conceperit, nec non numerosam fidelium turbam, num. 1750. & 1834. Lunæ fœcunditas in utero Virginis, nu. 1162. & 1163.

4 *Beatus venter, &c.* Quanta Matris Dei sublimitas nu. 459. Christum portavit sanguinem virgineum administrando ad corporis Dominici fabricam, nu. 460. & ad ejusdem corporis nutritionem, nu. 460. Subinde Virgo non solum Mater, sed & Martyr. *ibidem.*

5 *Et ubera, quæ suxisti.* Ad Genitricis Dei dignitatem spectat, ut natum Iesum proprio lacte, sive albo sanguine enutrierit. Sic plus meruit fundendo lac de suis uberibus, quàm Martyres fundendo sanguinem in martyrio, nu. 467. Vaticinium Isaiæ de Christi lactatione, nu. 469. Suxit puer Iesus mammam, ut divinum illud lac nobis scaturiret, quod ex proprio latere profluxit, nu. 567.

6 *Quinimò beati qui audiunt, &c.* potior extat hæc spiritualis generatio, & maternitas per virtutum, & gratiæ opera, corporali illa, num. 470. Sic justi ad Matrem Dei sublimitatem evehuntur quodammodo: Christum in mente concipiendo, & portando, nu. 471. Hinc iam resplendent Virginis magnalia ex gratiæ donis, vel à tenera ætate, qua in templo est præsentata, ut enim Sanctus Damasc. lib. 4. de fide cap. 15. *In domo Domini plantata est, omnis virtutis habitaculum facta est.* Quàm acerbe Beata Virgo in Templo degens suum corpus tractaverit, nu. 1775. Ad Virginem in Templo degentem, & virtutibus conspicuam referas dicta à num 561. Vide *virtus.* Lege pro præsentatione Deiparæ in Templo nostrum eruditissimum Ioannem Baptistam Poza in eluci. Deip. lib. 2. tract. ultimo.

Pro Virginis Annuntiatione.

Habes supra in Christi Domini festivitatibus.

Pro Visitatione B. Virginis.

1 *Exurgens Maria abiit &c.* Sanctus Ambros. ibi: *Quò enim iam Deo plena nisi ad superiora cum festinatione conscenderet.* Hùc revoces fœminam Apocalypticam Deo quidem plenam, & in cælo apparentem; & in desertum, & superior volantem Aquilinis pennis. Vide in Indice locorum Apoc. 12. & nu. 771. Qui Deo sunt pleni, lapides sancti sunt elevati super terram, & rotati in sublime, nu. 1740. *Galilea*, unde Maria proficiscitur, significat *rotatricem*, ut vult S. Greg. Nissenus orat. 2. de resurrec. Luc. 1.

2 *Maria abiit, &c.* Benè *Maria* festina assurgit, & abit salutatura Elisabeth, & Ioannem in utero materno commorante liberatura à peccato originali. Maria enim stella maris est, luminare minus ut præesset nocti, id est peccatoribus, adiutorium simile Christo, nu. 1816. & 1817. Quo referas verba Genes. *inimicitias ponam, &c. ipsa* [Hebraicè ipse] *conteret, &c.* nu. 32. & 51. Et observa pro illis verbis *abiit cum festinatione* verbum *conterit* Hebraicum, Chaldaicum, & Græcum præ se ferre singularem præsentationem, & præmaturam velocitatem, ut patet, &c. ex Paulo ad Roman. 16. 20. & Psal. 118. v. 146. Quod ad Ioannem referas velociter, & festinanter liberatum à Christo & Deipara à peccato originis.

3 *Abiit cum festinatione.* Cum oleum effusum, & exinanitum sit Dei verbum humana indutum natura, ad odorem illius festinabat Deipara. Vide in

in Indice locorum sacrę scripturæ testimonium Cantic. 1. 1. & observa ex Ruperto: *Post Dominum femina trahebatur, & currebat in odorem unguentorum, & ipsum currere, id est abire cum festinatione in montana, erat dicere: trahe me post te curremus, &c.*

4 *Abiit cum festinatione.* Abiit Maria plena oculis providentię, plena alis, uti animalia Ezechielis, num. 1819. Ubi observanda verba Sancti Gregorii Neocæsari. Thaumaturgi fer. 2. de annuntiatione, ubi Gabrielem sic inducit loquentem: *Ventrem habes qualem Ezechiel vidit, & qualem recensuit talia dicens: similitudo animalium super caput quasi firmamentum, & quasi aspectus crystalli formidabilis, & similitudo throni super ea, quasi aspectus lapidis sapbiri &c. Perspicue igitur Propheta natum ex sanctissima, Virgine in figura, ac umbra cernebat, quem tu Sancta Virgo portare non posses, nisi omni claritate, atque virtute pro tempore illo effulgeres, coruscares, &c.* Ut videS, Beatam Virginem pro illo Incarnationis nomestris gestationis tempore non minus illustrem splendidamque describit, quàm Ezechiel divinum illum currum.

Pro Festo Purificationis B. Virg.

Luc. 2. 1 *Postquam completi sunt dies purgationis Mariæ, &c.* Pro arcano Marianæ Purificationis mysterio faciunt dicta à num. 1010. usque ad 1025. ubi fusè, & noviter expendimus Cantic. verba: *Quid videbis in Sulamite nisi choros castrorum?* LXX. *Quæ venit sicut chori castrorum?* In primis cum hoc festum solenni pompa, & accensis in ea luminaribus soleat peragi: *Processuri enim sumus* [ait Sanct. Bernar. ser. 2. de purit.] *bini & bini candelas habentes in manibus, ipsas quoque accensas:* est opportuna translatio ex Hebræo, de qua num. 1019. Quò respicit explicatio R. Abeneyra: *Quid spectatis in Sulamite, ut vos omnes exire oporteat ad eam contemplandam, non secus atque certatum, aut cum pompa duce acies exeunt in occursum Regis sui?* Vide Canisium nostrum lib. 4. cap. 2. De festo luminario-rum.

2 Deindè ad Simeonis vaticinium de passione, seù martyrio Deiparæ referenda dicta num. 1011. & 1012. Quidquid enim in ea spectatur, bellicum est, num. 1013. Saltationes armatæ, choreæ bellicæ, num. 1016. & 1018. Crucifixa Crucifixum portavit quæ crucifixa crucifixum concepit, & peperit, num. 461. & 1346. Vide spectrum Sanctæ Brigittæ objectum, num. 1788. Quò etiam spectat signum magnum, de quo num. 1771. Vide *Maria martyrium.*

3 Angelis venit comitata quasi choris castrorum, num. 1024. Angeli comitabantur Deiparam quasi cantores in choris, quasi choreas ducentes, num. 1018. *Cum Angelis choros ducamus*, monet S. Cyrill. Jeroso. orat. de occursu Domini.

4 Venit virtutibus conspicua, & munita: virtutes enim *chori* appellantur, num. 1022. Alanus in id Canti. *In Virgine fuerunt chori canentium quantum ad consonantiam virtutum; castra verò pugnantium secundum quod vitiorum, & dæmonum repellebat insultus.*

5 Denique quatuor præsertim virtutes resplendent, hodierna festivitate in Maria. Prima singularis amor puritatis, virginalis integritas maternitati adjuncta. Secunda, obedientia prompta. Tertia animi demissio eximia. Quarta liberalitas, seù magnificentia specialis. Has virtutes symbolicè ostendunt quatuor elogia ab sponso prolata in suam sulamitem.

6 Primò singularem puritatis amorem maternitati fœcundissimę adjunctę demonstrant illa: *venter tuus acervus tritici vallatus liliis.* Vide num. 1163. 1750. & 1834. Et de liliatis vestibus [ad quas hic fit alluſio, juxta Alcasarem] num. 755. sicut lilium inter spinas, num. 752. Guillelmus ibi: *Filias vult vocari omnes alias ex Eva genitas, quæ spina, quia concipiunt in libidine, & pariunt in dolore, sed Virgo lilium quia pariens gaudium, & lætitiam habebat, &c.*

7 Secundò, cum Deipara ipsis Angelis longè esset purior, neque puerperii legi subjecta, legi obtemperavit. Rara utique obedientia, designata illis verbis; *Umbilicus tuus crater tornatilis, &c.* Efferas, ut habes, num. 591. & 1162. *Baltheus est in umbilico ejus, &c. in quo inest species lunæ.* Dum à baltheo, seù cingulo Virginem laudat, ab obedientia illam commendat, quæ nos in officio continet, & legis obsequio obstringit, Psal. 13. *Omnes declinaverunt*, Hebraicè, *defluxerunt.* Unde Cicero pro Marcello. *Omnia, quæ delapsa jam fluxerunt, severis legibus vincienda sunt.* Inde Christus: *Nolite putare, quoniam veni solvere legem, non veni solvere, sed adimplere.* Græcè: *sed adstringere.* Addè: species illa lunæ in baltheo resplendens est obedientiæ symbolum. *Cur in calceamentis lunulas, qui splendidis natalibus præfulgent, ferunt?* quærit Plutar. in suis quæstio. Respondet: *Disciplina ea est obedientiæ consulentium.* Luna enim respectat assiduè solis radios, n. 68. & 582. Vide *luna.*

8 Tertiò, animi demissio in Deipara commendatur illis verbis: *Quam pulchri sunt gressus tui, &c.* Vide num. 446. Pedes superbiam conterentes, num. 1282. ipsa conteret caput tuum, id est superbiam tuam, num. 50. Observa ex Chaldæo: *Quàm pulchri sunt pedes Israel, quando ascendunt, ut appareant coram Domino, & offerunt vota sua, & oblationes voluntarias.*

9 Quartò, Deiparæ liberalitas, & magnificentia prolis suæ oblatione Deo facta pro hominum redemptione, apparet illis verbis: *Caput tuum ut carmelus, &c.* Vertas: caput tuum super te, id est ornamentum capitis, *Agnus circumcisus.* Vide hæc verba locis indicatis in Indice locorum sacræ scripturæ Cant. 7. 5.

10 *Tulerunt puerum in Jeru. &c.* Puerum suum tulit Deipara inter brachia sua, tanquam myrrhæ fasciculum: passionem enim & mortem filii sui semper præ oculis habebat, n. 1791.

11 *Tulerunt puerum, &c.* Facta quidem Beata Virgo tanquam navis institoris de longe portans panem suum, divitias suas, vitam mundi, n. 1807.

12 *Tulerunt puerum suum, &c.* Verè collum Deiparæ, ex quo pendebat puer Jesus, sicut turris David, quæ ædificata est cum luminaribus, num. 830. quæ ædificata est ad docendum, num. 1871. O quot in hac turri virtutum documenta, obedientiæ, humilitatis, &c. quę in collo designantur. Vide Delrio. Turris est, ex qua pendent *mille clypei.* Vertas: *Deus clypeus*, ut nos tali clypeo propugnet num. 1151. & 719. & 720. Pro *mille* est Hebraicè *aleph*, quod significat agnum; *Deus agnus pendet ex ea*, ut tollat peccata mundi.

13 *Tulerunt puerum, &c.* Puerum tulit Beata Virgo tanquam lumen ad revelationem Gentium; ut ei Simeon prædixit. Verè per Mariam lux cœlestis Gentilibus affulsit, n. 1457.

14 *Ut sisterent eum coram Domino.* Sanctus Bernard. ser. de purific. *Offer ad novam omnium reconciliationem hostiam sanctam Deo placentem. Oblatio ista satis delicata videtur.* Verè Deipara sacerdos pariter & altare, verè mundi redemptrix, quę sic mundum dilexit, ut filium suum unigenitum obtulerit pro mundi salute, num. 1786. & 1799. 1801. 1803. & 1837.

15 *Ecce positus est hic in signum, cui contradicetur.* Sanctus Basilius in cat. Sanct. Tho. *Signum contradictionem accipiens propriè crux dicitur ab scriptura: fecit enim, inquit, Moyses serpentem æneum, & posuit pro signo.* Certè vel a mundi exordio contradictiones & persecutiones subiit Christus à D. num. 1180. Vide *persecutio.* Semper in suis passus, & occisus 433. 977. & 1271.

16 *In signum, cui contradicetur.* Sanct. Gregor. Nysse. apud Sanctum Thom. in cat. *Hæc siquidem de filio dicuntur: spectant tamen ad ejus genitricem.* De quo n. 1771.

17 *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Agnoscas in his verbis martyrium Deiparæ: de quo nos latè in tract. appendice hujus operis, à num. 1743. Vide *Maria martyrium.*

18 *Pertransibit gladius.* Gladius appellatur quidquid pungit, cruciat, extorquet. nu. 1032. Vt gladius martyrii ematur, omnia vendenda, nu. 1032. Hoc affici gladio petit Virgo cum ait *Osculetur me, &c.* nu. 1141. Quos enim Deus amat ut amicos, & familiares, ærumnis, laboribus, & cruciamentis afficit, à nu. 484.

Pro Assumptione Beatæ Mariæ.

1 *Intravit Jesus in quoddam castellum, &c.* Quorsum evangelium hoc pro gloriosa Deiparæ in cœlos Luc. 10